



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum confessio aperiat paradisum? 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

*Vtrum confessio aperiat paradysum?*

41

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod confessio non aperiat paradysum. Quia diuersorum sacramentorum diuersi sunt effectus. Sed apertio paradysi est effectus baptismi. Ergo non est effectus confessionis.

¶ 2 Præterea, In id quod clausum est, ante apertionem intrari non potest. Sed ante confessionem, moriens intrare paradysum potest. Ergo confessio non aperit paradysum.

SED contra, Confessio facit hominem subijci clauibus Ecclesiæ. Sed per eas aperitur paradysus. Ergo & per confessionem.

RESPONDEO dicendum, quod a paradysi introitu prohibetur aliquis per culpam, & reatum pœnæ. Et quia hæc impedimenta confessio amouet, ut ex dictis patet: idè dicitur paradysum aperire.

Ad primum ergo dicendum, quod quamuis baptismus & pœnitentia sint diuersa sacramenta, tamen agunt in vi vnius passionis Christi, per quam aditus paradysi est apertus. *\* in duobus articulis p<sup>re</sup>ced.*

Ad secundum dicendum, quod ante votum confessionis paradysus clausus erat peccanti mortaliter, quamuis postea per contritionem in virtute voti confessionis, apertus sit, etiam ante confessionem actualiter factam: non tamen obstaculum reatus est totaliter amouit ante confessionem & satisfactionem.

ARTIC. IV.

42

*Vtrum confessio tribuat spem salutis?*

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod effectus confessionis poni non debeat, quod tribuat spem salutis. Spes enim ex omnibus meritorijs actibus prouenit. Ergo non videtur esse proprius effectus confessionis.

¶ 2 Præterea, Per tribulationem ad spem peruenimus, ut patet Rom. 5. Sed tribulationem homo præcipue in satisfactione sustinet. Ergo tribuere spem